



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

Sect. 3. Solvuntur argumenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95892](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95892)

566 Disp. IX. De prædicamento Substantiæ,

materiam non esse idem, sic ille.

Per primas autem substantias intelligit ibi Divus Thomas substantias spirituales: ergo saltem in materialibus compositis iudicat Aristoteles supposititalitatem esse formalitatem aliquo modo distinctam à natura, habereque perfectionem peculiarem sibi propriam, ratione cuius debebat Aristoteles doctrinæ claritati consulens, dum divisio fit substantiæ annumerare explicate supposititalitatem inter membra substantiæ, & non implicite relinquere in composito, alias curte procederet Aristoteles; ne ergo hac macula inficiatur Philosophus, dicendum est membrum illud dividens solum esse substantiam realem physicam, sub qua non comprehenduntur ut membra actio, quia est modus, & supposititalitas, & substantia propter eandem rationem, licet contrarium sentiat Hurtado.

51 Præterea, quia ex eo quod una res identificatur cum alia non colligitur includi in alia, ac proinde si est membrum dividens, non debet in annumeratione cæterorum membrorum tacite relinqui, actio enim identificatur cum passione, & nihilominus una non includit aliam, ac proinde si in annumeratione prædicamentorum relinqueretur passio, curta esset divisio, quia in doctrinali divisione non obstat identitas duorum ut una formalitas includatur in alia, & ut in recta divisione non explicentur illa membra, quorum formalitates sese formaliter excludunt: ergo similiter licet Aristoteles intelligeret substantiam identificari cum natura (quod adhuc dubitatur inter Doctores;) non obstat illa identitas ut supposititalitatis formalitas includeretur in naturæ formalitate, & ut in recta divisione, ambæ explicarentur, cum in sententia Aristotelis formalitas substantiæ, & supposititalitatis tantum distincta formalitate naturæ (imo ambæ ita sese excludant) ut prædicata contradictoria, de ijs prædicet ipse Aristoteles: ergo nulla vis est argumenti Hurtado contra nos, cum innitatur falsæ intelligentiæ divise ab Aristotele in formam, materiam, & compositum.

SECTIO III.

Solvuntur argumenta.

52 Ad primum iam responsum est evidenter, eique clare satisfactum.

Ad secundum distinguo, non constituit producendo, nego; de quo satis supra ad secundam partem dico, nec etiam mutata hac numero unio esse aliud compositum, nec Ioannes erit Petrus, imo nec mutata hac numero materia desinet Pater Hurtado esse ipse numero, & nihilominus hæc unio est substantia, & hæc materia: ergo nihil urget argumentum.

53 Ad confirmationem, dico falsum esse modum illam concipiendi naturam; prius concipimus actionem, & postea substantiam, quia prioritate naturæ antecedit actio terminum, imo non potest concipi substantia creata sine participatione, seu dependentia à Deo constituyente substantiam in suo esse, & ideo necessario talis participatio est substantia.

QVÆSTIO VI.

De secunda divisione substantiæ in primam, & secundam.

SECTIO I.

Sententia adversariorum proponuntur.

PRIMA sententia asserit hanc divisionem, tam quoad divisum, quam quoad membra dividenda esse realem, ac primo intentionalem, & nihil rationis includere: huius patronus sententiæ videtur Caceranus in prædicamento substantiæ, & alij, & probatur sic.

Primo, quia divisum est substantia ut sic, & dividenda sunt prima, & secunda substantia, v. g. animal, homo, & Petrus, sed hæc omnia sunt realia: ergo divisio absolute, & simpliciter est realis.

Secundo, quia omne, quod est in prædicamento substantiæ est reale, in prædicamento enim nihil rationis collocatur: sed hæc divisio est ex ijs solum, quæ in prædicamento collocantur: ergo hæc divisio absolute, & simpliciter est realis, seu primo intentionalis.

Secunda sententia asserit absolute esse rationis, & secundo intentionalem, ita ut tam prima, quam secunda substantia, sint nomina secundæ intentionis, & de formaliter significare quoddam accidentis rationis, nempe rationem subiecti, & prædicati, ita Soto in *Logica, cap. de substantia*.

SECTIO II.

Nostra sententia probatur.

PRIMA conclusio: absolute, & simpliciter hæc divisio secundum omne quod dicitur, non est nec ex omni parte debet dici primo intentionalis, ac realis, & probatur.

Primo, quia illa divisio sumitur primo intentionaliter, absolute, & simpliciter in qua tam divisum quam membra dividenda formaliter accipitur, hoc est, quia sunt membra dividenda formaliter divisum sumuntur realiter; sed in hac divisione substantiæ in primam, & secundam, & si divisum sumi possit realiter, membra tamen dividenda non possunt realiter sumi: ergo divisio hæc est difficile sumi potest, imo non potest absolute, & simpliciter primo intentionaliter.

Maiores certa, minorem vero ita ostendo. Quia divisum vel est proprietas substantiæ divisa in diversos modos, eandem participandi, vel in diversos modos efficiendi substantiam, quibus communis, vel divisum est essentia completa entis, per se in varios modos participandi substantiam, & modum ultimo complementem; aliud enim divisum reale excogitari nequit, ut farentur etiam Authores oppositæ sententiæ, sed divisum in utraque acceptione dividi nequit, per membra dividenda, quæ accepta formaliter, & dividunt divisum sunt membra realia realiter accepta: ergo probatur minor, quia membra dividenda sunt prima, & secunda